Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2687
Quelle:
Copyright:



*Qui fuit predicator in leta curia Ciuitatis pragen &c.* Meminit hujus Operis *Bohemia docta Bob. Balbini* ex edit. Cl. *Raph. Ungar* P. II. p. 284. citata jam ad *Cod.* DCXXXVII. et *Fabricius* in *Bibl. med. et inf. Lat.* L. XII. ex *Lambecii* L. II. p. 776. edit. *Kollar.* col. 579.

## DCCXXX.

202 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 222. f. currente calamo per duas columnas ſcriptus continet I. *Conradi Stekne, Stykna*, vel de *Sſtiekna*, a longa in *Auſtria* et Academia *Vienn.* commoratione dicti *ab Auſtria*, teſte *Hagecio* canonici regularis et Plebani B. V. *Teynenſis* in Urbe vet. *Pragenſi*, viri non minus ab eloquentia, quam odio Monachorum famoſi, qui obiit 1369. ut habes in *Balbini Bob. docta* P. II. p. 181. *Sermones de Sanctis* per anni circulum. Sermo I. de S. *Andrea* Apoſtolo in illud: *Oſculetur me oſculo oris ſui* &c. incipit: *Ad gloriam primo et honorem ſancti andree ſumo illud verbum* &c. In Sanctos *Bohemiae* Indigetes Sermones ſunt ſequentes: *Fol.* 37. in translationem S. *Wenceslai. Fol.* 40. in *Cyrillum* et *Metudium. Fol.* 48. in *Adalbertum. Fol.* 68. in *Vitum. Fol.* 102. in *Ludmillam. Fol.* 108. in *Wenceslaum.* Notari meretur Sermo *fol.* 143. ſic inſcriptus: *Incipit ſermo ad clerum factus per venerabilem magiſtrum yſneri ſacre theologie profeſſorem de obitu regine Cracouie.* Errore ſane ridiculo Librarius ignorans ex *R. P.* quod in autographo aliquo *Reverendum* aut *Reverendiſſimum Patrem* indicabat, *Reginam Poloniae* effinxit; eſt enim Sermo hic in obitu *Johannis a Genſtein Archiep. Pragenſis* habitus, qui *Romae* 1400. deceſſit, ut paucis poſt initium lineis adparet, ubi dicitur, verba Pauli: *Mors illi ultra non dominabitur*, non inconvenienter poſſe adplicari *reuerendiſſimo in chriſto ac domino domino Johanni olym archiepiſcopo pragenſi et nunc vltimo patriarche allexandrino felicis memorie, cuius de preſenti exequias peragimus.* Et tamen imperitus homo mox ſubjicit: *Cogitanti mihi de illius Regine Polonie* (Rev. Patris) *morte et obitu temporali magis libet flere* &c. Et poſt medium: *Regina Po. felicis recordationis caduca et tranſitoria huius mundi minime curauit — Quod euidenter patet in archiepiſcopatus pragenſis reſignatione vbi gloriam diuitias et honores reliquit Et ſe ad locum deſertum et quaſi heremiticum in caſtrum belſinburg ſe tranſtulit, ut ſoli deo vacare poſſet Et in totalis vite ſue curſu quia ex nobilibus et diuitibus parentibus &c. Tandem patrie natalis dulcedinem omnino derelinquens ad partes ytalie et ad romam in qua et nunc finem ſuum clauſit extremum quaſi ad exilium ſe dedit Et ſic patet quomodo primo ſpoliauit ſe poſſeſſionibus deinde cognacione ſua Quibus etiam ipſum omnino mors naturalis priuauit Quia diuina uolente miſericordia bene mortuus eſt Quia*

in